



CANCELLARIUS,

CURIA, SENATUS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS

AMPLISSIMO RECTORI SENATUIQUE


UNIVERSITATIS *de McGill Montrealensis*

S. D. P.

Sollenne est Sapientiae antistitibus siqua contigerit laetitiae feriarumque occasio eam in medium deferre ut litteratorum Reipublicae concives piis gaudiis intersint universi. Communis enim inter studia communia foventes necessitudo. Atque hoc praesertim aevo cum tot simultatium discordiarumque causae inter gentes intercedant, quam plurimi facimus fastorum opportunitatem per quam licet patria diversos litterarum commerciis inter se coniunctos ad doctum hospitium sodalitiisque convocare.

Sacra autem paramus saecularia cum haec nostra Glasguensis Academia natalem quadringentesimum quinquagesimum celebrare velit. Iustum igitur saeculorum orbis rettulit tempus patribus conditoribusque nostris pio animo grataque memoria parentandi, Minervam simul per tantum aevi spatium feliciter navatam commemorandi. Ecquis enim divini scriptoris immemor? *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua.* Et nobis profuerunt *homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.* Quippe anno post Chr. nat. millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo Nicolaus V., Pontifex Maximus, non humilis ipse humanitatis fautor, reforescentium id temporis artium scientiarumque pro nostratibus oratorem Jacobum II. exaudivit. Ergo a magna Roma matre lectae studiorum stirpes mox in terram novam digestae necnon multorum beneficiis atque liberalitate excultae in hanc tam nobilem Academiae molem creverunt. Longa deinde regum Scotorum series, inter quos honoris causa nominandus fundator ille alter Iacobus VI., viri doctissimi consiliis Andreae Melvini obsecutus, perpetuusque Maecenatium atque huiusce mercatura artibusque florentissimae Urbis favor *Studium illud Generale* auxit ditavitque.

Cum autem ad Bononiensis maxime Universitatis normam atque regulam ab initiis placuerit doctrinae regimen accommodare, arctissima usque adhuc disciplinae rationisque scholasticae similitudo cum ceteris ubicumque Academiis communem affinitatem testatur. Quamobrem quasi nostro iure, humanissimi collegae, Senatum vestrum amplissimum precamur ut legatos mittat quos gaudiis caerimoniisque nostris interfuturos mensis Iunii die xii. laeti laetos excipiamus.



*R. Robert Stoy*

*Praefectus et Vice-Cancellarius.*

*Dabamus a.d. vii Id. Januar. MCM. Glasgae.*